



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 108. Titulus XLI. De Simoniacis, & Fiduciariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI
A.C. 1584.

bus, consignationibus, vinculis, & nexibus
matrimonia impediuntur: hæc Synodus com-
munionem Ecclesie interdicit omnes eos, qui
hujusmodi superstitionibus utuntur: monet-
que fideles, ne hujusmodi commentis fidem
habeant: sed in Deo fiduciam certam con-
stituunt: nec idcirco matrimonia noctu fiant,
sed in luce, & frequentia hominum.

III. Provideant Episcopi, ne prætextu
pietatis ulli exorcismi fiant, nisi qui ab
Ecclesia probati sint.

§. CVIII.

Titulus XLI. De Simoniacis, & Fi-
duciariis.

Titulus quadragesimus primus, qui
agit de simoniacis, & fiduciariis,
sequentes octo Canones exhibet. I. Qui
pro adipiscendis beneficiis, ac pensionibus
Ecclesiasticis aliquid dant, vel accipiunt:
omnes etiam quomodocunque conferentes, re-
signantes, & accipientes quæcunque benefi-
cia custodie, aut fiducie nomine, vel ex
iisdem pensiones sine summi Pontificis au-
thoritate percipientes, aut percipientes, om-
nes denique seu Clerici, seu Laici, hujus-
modi illicitis actionibus intervenientes, con-
sentientes, aut ex iis emolumentum capien-
tes, se simoniacos esse, & juxta constitu-
tiones contentas in bullis Pii quarti, & Pii
quinti, & Gregorii decimi tertii, a summo
Pontifice duntaxat, nisi in articulo mortis,
abso-

absolutionis beneficium consequi posse intelligant. Sæcul. XVI.
A. C. 1584.

Canon II. Beneficia pretio obtenta, & in confidentiam, seu custodiam, occulte, aut aperte tradita, ipso jure vacant: qui percipiunt eorum fructus, suos non faciant, sed ad restitutionem teneantur.

Canon III. Confidentiarum quæcunque beneficia habent, aut administrationes, aut pensiones, iis in perpetuum careant, & ad alia omnia obtinenda inhabiles reddantur: præterea a quibuslibet personis demerentur, & excommunicationis gladio feriuntur.

Canon IV. Episcopi, & alii beneficiorum Collatores nulli beneficium conferant, nisi ei, qui prius rationem reddiderit, qua via beneficium adeptus sit, eique hujus sceleris, & pænæ gravitas declaretur. Deinde sub pænâ, & comminatione iræ divinæ jurare jubeantur, num aliqua simonice pactio de custodia fructuum, vel pensionis reservatione, citra summi Pontificis auctoritatem solvenda, in hujusmodi provisione intervenit, quod si jurare renuerit, provisio subreptitia, & nulla censeatur.

Canon V. Inquirant Episcopi per vicarios, seu Officiales in omnes, & singulos, qui publica fama, vel legitimis conjecturis Simonice, vel confidentiæ suspecti fuerint, & ad probandas præsumptiones, & conjecturas, testes de quaque re singulares admittant, ne tam nefarium scelus impunitum maneat.

Canon

Sæcul. XVI. Canon VI. *Simoniaci, & confidentiarii*
 A.C. 1584. *notorie infames censeantur, ideoque ab om-*
nibus Synodis provincialibus ac Diæcesanis,
capitulis, Monasteriis, denique ab omni
ecclesiastico conventu excludantur.

Canon VII. *Parochi singulis diebus*
dominici simoniacos & confidentiarios,
cum sortilegis, præstigiatoribus, incanta-
toribus, usurariis, veneficis excommunica-
tos denuntient.

Canon VIII. *Qui confessiones audiunt,*
simoniacos, & confidentiarios non absol-
vant, sed ad summum Pontificem remittant.

§. CIX.

Titulus XLII. De Concubinariis.

In titulo quadragesimo secundo de Con-
 cubinariis quatuor habentur Cano-
 nes, quorum primus ita declarat: *om-*
nes Sacerdotes, ac clerici beneficiati, mu-
lierum impudicarum, aut quæ ejus ætatis
erunt, cujus ratione oriri possit sinistra su-
spicio, consortio, sive intra, sive extra
domum, prorsus absterneant, qui a superiore
monitus non absterneant, tertia parte fru-
ctuum beneficiorum, quæ obtinet, ac etiam
pensionum, piis usibus arbitrio Episcopi ap-
plicanda mulctetur, qui secundo monitus per-
severaverit, fructibus omnibus, & pensio-
nibus beneficiorum privetur, atque ab eo-
rum administratione suspendatur, donec
Episcopo aliter visum fuerit. Qui post secun-
dam